


BALTIASAR
CYRORARIO



BALTHASAR
Der letztere Monarch von Assyrien
Von
CYRO und DARIO
Der Perseren und Mederen Königen
Seines Reichs und Lebens beraubt.



BALTHASAR
Ultimus Assyriorum Monarcha,
A
CYRO & DARIO
Persarum ac Medorum Regibus

Imperio & Vitâ exutus.

Honori, Amori, debitaque Observantia

Illustrissimi, Reverendissimi, & Excellentissimi Domini

D. HYACINTHI ALPHONSI
S. R. I. Comitis de SUYS,

Dei & Apostolicæ Sedis Gratiâ S. R. I. P. Libera^{imperialis}, immediatæ, ac
exemptæ Ecclesiæ S. Cornelii ad Indam Ord. S. Benedicti Abbatis, ejusdemque loci tam in tempo-
ralibus, quam spiritualibus Domini Territorialis, Domini in Eilendorff, Grefsenich,
Castenholtz, Bergheimerdorff, Cumptrich & Mortroux &c.

Præpositi perpetui in Schlain &c. &c.

Studiolæ Juventutis

Mecænatîs & Brabentæ Gratioussimi

Tragico Dramate

Ludis Autumnalibus in Scenam dabitur

à
Prænobili, Nobili, Lectissimæque Gymnasii Annæ Societatis Jesu Juventute,

100
EPISTOLA PASTORALIS 27

REVERENDISSIMI ac SERENISSIMI DOMINI,
D. JOSEPHI CLEMENTIS
ARCHI-EPISCOPI ET PRINCIPIS ELECTORIS
Coloniensis, Episcopi & Principis Hildesienfis ac Leo-
diensis, Administratoris Berchtesgadensis, utriusque
Bavariæ Ducis &c. &c.

*Ad Clerum, populūque suum Coloniensem, Hildesiensem,
Leodiensem & Berchtesgadensem.*



Coloniæ Typis Servatii Næthen,
SERENISSIMI ELECTORIS T...

JO
DE
CO
Archi
Sedis
Admir
Lati

Cler

ce
rec
per
na
lg

JOSEPHUS CLEMENS
DEI GRATIA ARCHI-EPISCOPUS
COLONIENSIS, S. R. I. PER ITALIAM

*Archi-Cancellarius, & Princeps Elector, Legatus natus Sanctæ
Sedis Apostolicæ, Episcopus & Princeps Hildesienfis ac Leodiensis,
Administrator Berchtesgadensis, utriusque Bavariæ, superioris Pa-
latinatus, Westphaliæ, Angariæ, & Bullionii Dux, Comes
Palatinus Rheni, Landgravius Leuchttembergensis,
Marchio Franchimontensis, Comes Lossensis,
Hornensis &c.*

Clero, populóque suo Coloniensi, Hildesienfi, Leodiensi &
Berchtesgadensi salutem in Domino.

OMnem operam pro Pastoralis sollicitudinis
munere semper adhibuimus, ut creditæ No-
bis Christi oves, unanimes in fide, multâ pa-
ce fruerentur in Domino, procúlque ab illis exula-
rent dissidia, ea præsertim, quæ ex *doctrinis variis &* Ad Heb.
13.
peregrinis, animas certum in interitum trahentibus,
nasci solent: *Multi enim lupi, ut cum Divo Martyre* Epist. ad
Philad.
Ignatio loquamur, velleribus tecti, in Dei stadio cur-

A

ren-

rentes , captivos comprehendunt : verum in vestris concordibus animis nullus dabitur illis locus.

- a 2. Cor. 6. (a) *Os nostrum patet ad Vos* , Fratres charissimi. Nunquam acerbius (b) *urimur* , quam si inquieti homines
- b 2. Cor. 11. (c) *profanis vocum novitatibus* Vos conturbent , (d) *non acquiescentes sanis sermonibus* , (e) *errantes* , & *in errorem mittentes*. (f) *Hi viam pacis non cognoverunt*. (g) *Abundat*
- c 1. Tim. 6. *verò consolatio nostra* , si eam , quam ardentissimis votis & omni conatu firmare fatagimus , ipsi Vos (h) *solliciti fueritis servare unitatem spiritus in vinculo pacis* ; unum corpus & unus spiritus , una fides. Hoc (i) *gaudium* , hæc *corona* nostra. Gaudium autem nostrum non essetis , Fratres charissimi , nisi pariter & corona ; nec corona esse poteritis , nisi arctissimo in spiritu Christi vinculo conjuncti ; nec sacro hoc vinculo conjungi , nisi (l) *tenentes supremam in terris Ecclesiæ Caput* , in quo totum corpus per nexus & conjunctiones *subministratum & constructum* , *crescit in augmentum Dei* , fitque (m) *speciosa illa in terris Ecclesiastica Hierarchia* , *alma Sionis* , ubi omnia *aptis juncta nexibus locantur* , cælestisque Hierarchiæ *æmula* , quia (n) *unitatis origo* , ut Augustinus ait. Si verò sit *schisma in corpore* , si Ecclesiæ membra à capite *sejungantur* , si (o) *fili Matris pugnent contra eam* , si ponatur (p) *abominatio desolationis in loco sancto* , ac (q) *totus Hierarchiæ Ecclesiasticæ Ordo confundatur* , non erit amplius illi formosæ Christi Sponsæ *species neque decor* : & quis deinde
- d 1. Tim. 6. 3. f Pf. 13. g 2. Cor. 1. h Ad Eph. 4. i Ad Philip 4. l Ad Coloss. 2. m Brev. Rom. in Off. de- dic. Ec- cles. n De u- nit. Eccl. o Cant. 1. p Matt. 15. q Bulla Pii II. que incipit execra- bilis.

deinceps in eâ cælestis Hierarchiæ imaginem agnosceret, quæ nihil referat cælestis concordiæ, sed illum potius diffidii ac furoris locum adumbret, (r) *ubi nullus ordo,* ^{r Job. 10.}
sed sempiternus horror inhabitat?

Nostrium interim (s) *gaudium impletum est,* (t) *abundat* ^{s Joan. 3. 2. Cor. 1.}
consolatio nostra, cum attendimus Ecclesias Divinâ Providentiâ curæ Nostræ commissas, *omnium Ecclesiarum* Matri ac Magistræ, illiusque Summo Capiti, Christi in terris Vicario, indissoluto omnimodæ obedientiæ ac reverentiæ nodo esse conjunctas, parique obedientiâ & reverentiâ Constitutionem *Unigenitus* tantâ sapientiâ à Sanctissimo Domino Nostro Papa CLEMENTE XI. editam, tantâ submissione animi & alacritate ab omnibus propè Orbis Catholici Episcopis, atque etiam à Nobis receptam & publicatam, ceu veram fidei Regulam amplexas esse, eique firmissimè adherere.

Hinc (u) *pax vobis multiplicata,* & (x) *tranquillitas* ^{u 1. Pet. 1. Marc. 14.}
facta est magna, dum saxi maris non procul tument procellæ, & vicina littora concutiunt. Ipso sonitu fluctuum, ad Vos licèt nondum pertingentium, admonemur, navem, cujus regimen Nobis licèt indigne traditum est, omni ope subsidióque munire; & ne sufflantibus è vicinia ventis quatiatur, diligentissimè providere. Quare animos vestros in ea, quam susceperatis, veritate usquequaque confirmatos, solidatós-

datósque cupimus. Quo conducent maximè indubitata, & luculentissima, nuper typis vulgata, Ecclesiæ Præsulum toto Orbe Catholico diffusorum, de suscepta non sinè plausu suis in Provinciis Constitutione *Unigenitus* testimonia, quibus profectò obstruitur os omni homini contentioso, effugiúmque tergiversanti præcluditur. Quis enim universæ Ecclesiæ rem dogmaticam [cujusmodi est, nemine discrepante, laudata Constitutio] omnium propè primariorum Pastorum suffragiis firmanti, fidem aut obedientiam negare præsumperit; nisi forsitan sanctum hoc abjecerit Christi effatum, (*y*) *Portæ inferi non prævalebunt*, aliúdmque in caput suum detorquere voluerit, (*z*) *Sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus?*

Nos quidem Constitutionem illam, ceu divinum Christi Sponsæ oraculum, CLEMENTIS XI. voce prolatum eâ veneratione colimus, quâ divinitus Petro suggestam de Christi Divinitate confessionem,

^a *Matt.* 16. (*aa*) *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Confidenter pronuntiamus, Fratres charissimi; non minori religione prosequimur; quæ, Deo authore, CLEMENS XI. quam quæ Petrus effatus est. Cur enim sit venerationis cultûve disparitas, ubi una est fidem facientis auctoritas? Neque verò ideo Petrus enuntiatur à Domino beatus, quòd JESUM Filium DEI vivi edicat (Hoc ipsi dæmones proclamaverunt) sed quòd, Deo

reve-

revelante, seu inspirante edixerit: [bb] *Beatus es Simon* ^{bb Ibid.}
Bar-jona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater
meus, qui in calice est. Os Domini per CLEMENTEM
 XI. locutum esse, universa (Quid enim paucorum
 Nos moveat, moreturque cunctatio?) agnoscit, profi-
 teturque Ecclesia. Nullus igitur superest tergiversa-
 tionis locus. Ipsius Petri confessio certam præstat defi-
 nitionem CLEMENTIS: ab illa nimirum confes-
 sione, tanquam merces à Domino reddita, dimanavit
 in Petrum Petrique Successores suprema omnisque er-
 roris expers in rebus fidei & morum decernendis au-
 thoritas; cum Petro, Christi Divinitatem consenti-
 Christus ipse Petræ soliditatem in Ecclesia sua fundan-
 da pollicitus est: [cc] *Et Ego dico tibi, quia tu es Petrus, &* ^{cc Ibid.}
super hanc Petram edificabo Ecclesiam meam. Quibus verbis
 concessam Petro fundamentalis lapidis prærogativam
 prisca Ecclesiæ Doctores plerique omnes agnoverunt.
 Hinc asserta Petro Petrique Cathedræ fides, quæ de-
 ficere non possit. Et verò si superpositum fundamen-
 to ædificium nutare impossibile est, & ipsum labefa-
 ctari non posse fundamentum nemo ierit inficias:
 quassato enim fundamento, superpositam ruere mo-
 lem necesse est.

[dd] *Imitatores hinc mei estote, Fratres charissimi, sicut &* ^{ddi. Cor.}
ego Christi. Ad Petri responsum, Patre revelante, emis-
 sum, vocem extollit Christus, comprobans laudans-
 11-

que discipuli confessionem. Et Nos vocem cum universali Ecclesia extollimus venerantes & laudantes editam à CLEMENTE XI., Deo authore, id est, Spiritu Sancto juxta Christi promissa assistente seu dirigente, Constitutionem. Præcludantur aures omni voci alienæ à voce Petri. Dixerint [ee] *Alii Filium hominis esse Jeremiam, alii Eliam, alii unum ex Prophetis*: sentiunt ut homines: Petrus verò humana transcendens, quod Divinum est, sentit, sapit, loquitur.

ee Matt.
16.

Præcludamus & Nos aures omni voci alienæ à voce CLEMENTIS XI., quantumvis aliter sapiant, aut obloquentur nonnulli; sapiunt ut homines, garrunt ut homines. Petrus per CLEMENTEM locutus est: [ff] *A Domino egressus est sermo: non possumus extra placitum Ejus quidquam aliud vel audire vel loqui. Quare & ipsius CLEMENTIS plenis Pastoralis sollicitudine & paterno affectu vocibus Vos adhortamur: [gg] Nolite, filii dilectissimi, Vosque potissimum, qui ut loco, ita & periculo propinquiore estis, nolite omni spiritui credere: sed sanam & orthodoxam sanctæ Romanæ Ecclesiæ doctrinam, que sacrum fidei depositum intemeratè servat, tutò sequimini & firmiter custodite.*

ff Gen.
24.

gg Bul.
Pastoral.
officii.

i Joan. 4.

hh Isa.
51.

[hh] *Attendite ergo, Fratres charissimi, ad Petram, in qua fundata est Ecclesia: ab ea ne latum quidem unguem discesseritis. Quis enim Columnæ Veritatis, quæ Ecclesia est, adhærere possit, qui ad Lapidem fundamentum*

men-

mentalem, cui innititur Columna, propius non accesserit?

Idipsum Nobiscum sapere Vos in Domino confidimus, Fratres charissimi; Et si quis Vestrum (quod absit) aliter sentit, non Deus, [ii] sed caro & sanguis re-
 velavit. Nec Vos moveant captiosa cavillantium spirituum argumenta, & frivola, assequendæ Veritatis specie fucata, ad Generale Concilium appellatio: quoniam (ll) ad Sedem quidem B. Petri Apostoli de qua-
 libet mundi parte Canones appellari voluerunt; ab ipsa autem
 nemo sit (in rebus præsertim dogmaticis) appellare per-
 missus; (mm) Et Apostolica Sedes, frequenti more majorum, da-
 mnandi, quos oportuit, nullâ existente Synodo, habeat facultatem. Nec veremur, ne Apostolica sententia (nn) [Cujus au-
 thoritatem semper omnis Catholica Christi Ecclesia, & uni-
 versales Synodi semper secuta sunt] resolvatur, quam & vox
 Christi & Majorum traditio & Canonum sulci autoritas.
 Si quis igitur ad Vos venerit, aut si cujus in consortium
 incideritis, qui laudatæ Constitutioni, etiam sub præ-
 textu temerariæ & schismaticæ appellationis ad futu-
 rum Generale Concilium perperam interjectæ, debi-
 tam obedientiam recusarit, Nostris vestigiis inhæren-
 tes, procul ab eo fugite, sentiatque nullam Vobis cum
 eis, quos nuper Sancta Sedes Romana à se separatos
 declaravit, communionem Ecclesiasticam existere,
 nec exstituram deinceps, donec (quod faxit Deus) pe-
 nitus

ii Matt.
16.

ll Gelas.
Papa ad
Episc.

Darda-
nia.

mm Idè
in Com-
monit.

nn Faust.

nn A-
gatho

Papa ad
Imper.

Con-
stant. &

Heracl.
ac Tiber.

August.

nitus

nitus resipiscant. Quin & ejusmodi pacis Ecclesiasticæ perturbatores, à quibus non minùs, quàm à teterrima peste abhorremus, si rescieritis in Diacesibus Nostris aut palam grassari, aut dolosi serpentis instar (qui mos eorum est) clam virus suum spargere, illos ut ad Nos quamprimum deferatis, per Veltram totiùsque Dominici gregis salutem adjuramus; ut ex Pastoralis vigilantix ac sollicitudinis præscripto, opportunum exitiali malo, priusquam latius serpat, remedium omni solertiâ afferamus. Nos enim, sicut cum Patribus Concilii Constantinopolitani (oo) *sequemur semper Apostolicam Sedem, & obediemus*; ita etiam *ipsius Communicatores, Communicatores habebimus, & condemnatos ab illa & Nos condemnabimus*, refractarios insectabimur: Et qui (pp) *Ecclesiam non audierit, erit Nobis sicut Ethnicus & Publicanus*. Datum Bonnæ in Residentia Nostra Electorali die sextâ Mensis Julii Anno millesimo septingesimo decimo nono.

oo Conc.
Constan-
tinop.

An. 536.
Act. 4.
Ep. Matr.

18.

JOSEPHUS CLEMENS

Archi-Episc. & Elector.

(L.S.)

MELCHIORRI.



